

Christoph Martin Burchard

**Programma, Qvo Rector Academiæ Rostochiensis, Christoph. Martinus
Burchardus, Med. D. & Prof. Publ. Ordinarius, Ad Gloriosam Resurrectionem
Salvatoris Mundi, devoto animo celebrandam Cives Academicos perhumaniter
invitat, & Quænam bona exinde in Genius Humanum redundant ostendit**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1733?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017308>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1733. Oskern.

~~A-1256. 222~~

OJ. 1733

PROGRAMMA,
QVO
RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS;
**CHRISTOPH. MARTINUS
BURCHARDUS,**
Med. D. & Prof. Publ. Ordinarius;

AD
**GLORIOSAM RESUR-
RECTIONEM
SALVATORIS MUNDI,**

devoto animo
celebrandam

CIVES ACADEMICOS
perhumaniter invitat,

&
**Quænam bona exinde
in Genus Humanum redundant**
ostendit.



ROSTOCHII,
Typis IO. IACOB. ADLERİ, SEREN. PRINC. & ACAD.
Typographi.

M. 1256 222



Lluxit tandem l^atissima dies, qua
memoriam resurgentis Salvatoris
nostrⁱ celebramus: Dies ista, quæ
animum nostrum confirmat, &
certos nos reddit de resurrectione,
quam exspectamus, futura, & æter-
na nostra beatitudine. Quemad-
modum enim Christus vere mor-
tuus est, sed à morte detineri non potuit, quin se expe-
diret à mortis vinculis, & super istam triumpharet, cor-
pore glorificato resurgens, sic etiam istos, qui cum Christo
moriuntur, simili clarificato corpore aliquando resurrecturos,
Divus Apostolus testatur (a). Non enim justitiæ Divinæ
satisfieri poterat, nisi ultimus persolveretur obolus: Cum
autem Christus omnia nostra peccata, nostraque debita
in se fusciperet persolvenda, à vinculis mortis liberari
non potuisset, nisi plenarie Summo Numini ipsiusque
Justiciæ esset satisfactum. Non itaque imperf^{ect}um
est Meritum Christi, sed abunde satisfactorium, ut pro-
inde nemini dubium supereesse possit, an ad se quoque
illud pertineat, imprimis cum ipse Salvator Mundi omnes
promiscue ad se vocaverit, quotquot peccatorum mole se
sentiant oppressos (b) & præterea Apostolus Joh. I. Ep.
II. 2. expresse testetur, Christum esse propitiationem non pro
nostris peccatis tantum, sed etiam pro totius Mundi. Nos
itaque terque quaterque felices, qui, quamvis Chri-
stum redivivum nostris oculis præsentem intueri non
potuerimus, tamen testimonio Spiritus Sancti, & Sacrae
Scripturæ repugnare nefas putamus, memores illius
Salvatoris; beatos futuros istos, qui non viderunt, & credi-
derunt. (c) Quo magis sane mirandum, Populum Ju-
daicum,

(a) 1. Corinth. XV. 22. 23. 42. 43. 44. Phil. III. 21.

(b) Matth. XI. 28. (c) Joh. XX. 29.

daicum, imprimis Optimates, æ Summos Sacerdotes, postquam tot documentis, de Christi resurrectione convicti essent, non solum non assensum suum ac fidem præbere voluisse, sed etiam omnibus viribus, omni violentiæ genere conati sint, hanc veritatem destruere, & doctrinam de Christo Redemptore eradicare. Ea enim fuit Summi Numinis misericordia, & tam infinitus amor ipsius Salvatoris mundi, erga Populum Judaicum, ut ipsi primam hujus Evangelii decerneret prædicacionem, & ne quisquam de salute sua, & parricidii condonatione dubitaret, sponte per Apostolos media salutis omnibus offerret : *Poenitentiam tantummodo agerent, Et sacram admitterens Lavacrum ; sic enim etiam ad ipsos per venturum donum Spiritus Sancti.* (d) Quamvis autem non pauci resipiscerent, plerique tamen Judæorum, imprimis vero qui magnum illud Synedrium componebant, obdurato pectore contra nitebantur : non quod dubitare possent de resurrectione Christi, sed quod eam profiteri detrectarent. Quodnam enim dubium ipsis superesse posset, cum ipsi 1) profiterentur coram Pilato, Christum dixisse, se tertio die surrecturum ? Et quamvis tunc temporis id non crederent, ac propterea custodes desiderarent, qui sepulchrum cingerent, ne forte ipsius sectatores clandestine remoto corpore, aliquara prædictionis conciliarent autoritatem ; hac tamen ipsa præcautione evidentissime de vera Christi resurrectione convincebantur. Nam 2) ipsi milites primi exstabant Resurgentis Salvatoris præcones : quoniam autem sacerdotibus minus acceptum erat illud Evangelium, hinc nullis pepercere sumptibus ac largitionibus, ut veritatem rei premerent, injuncto custodibus mandato, ut sedulo fingerent, Christum nocte intempesta à discipulis furto fuisse surreptum. Verum hasce ne-

) 2

farias

(d) Actor. II. 38.

farias artes destruebant, & novum veritati accendebant lumen, 3) Miracula, quæ ab Apostolis, imprimis Petro perpetrabantur, & quidem in Nomine Christi à mortuis resuscitati, quibus, ut ipsi sacerdotes profitentur, contradicere non poterant. (e) Ast ne sic quidem ad saniorem rediere mentem, sed post severam prohibitionem, ne Christum publice profiteantur Apostoli, aut novam doctrinam ulterius disseminent, cruenta conferunt consilia, ac in cædem & sanguinem conspirant. Huic sceleri perpetrandæ dum intenti sunt 4) miraculosa Apostolorum ex publico carcere liberatione denuo convincuntur de veritate Doctrinæ Evangelicæ, adeo, ut ipse *Gamalielus* in medio confessu illos reprehenderet, ac fævitiam omnem dissuaderet, ne videantur tales, qui contra ipsum DEum arma expedire vellent. (f) Nullum itaque dubium superesse potest, Assessores Synedrii Hierosolymitani de resurrectione Christi fuisse plenarie convictos; quapropter etiam Divus Stephanus eos objurgat, quod continuo repugnant Spiritui Sancto; id quod dicere non potuisset Stephanus, nisi de rei veritate certi, malitiose testimonio interno Spiritus Sancti se opposuissent: Quænam autem dementia occupaverit Judæos, ut, quamvis meliora viderent, deteriorem tamen viam sequi maluerint, & agnitiæ veritati tanta pertinacia se opponere, facile apparet, eam ex eodem affectu propullulasse, quo jam olim Christum repudiaverant; fastum puto Pharisaicum, qui cum Christi doctrina perstare non poterat. Pertinacia namque genuina filia est superbiæ: Cum enim fastu ac præsumptione occupato animo nil magis intolerabile sit, quam profiteri errorem, aut pudendum aliquod facinus, hinc pertinaciâ se armat, & electionem actionis instituit, aut sententiam defendit, non quod rectæ rationi

(e) Actor. Cap. IV. 14.

(f) Actorum V. 39.

rationi eam consentaneam judicet, sed quoniam istam olim defendendam suscepit, eamque, si licitis modis persuadere, aut ad effectum deducere nequit, violentis ac truculentis remedii obtrudere, aut exequi conatur. Hinc ipse Salvator Iudæorum superbiam, tanquam præcipuum impedimentum fidei salvificæ accusat, dicendo: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam à vobis invicem accipitis; Et gloriam, quæ à solo DÉO proficitur, non queritis?* (a) Relinquimus vero istos iratis suis fatis, & ex posteris horum, quos adhuc sub maledictione per totum universum dispersos cernimus, nobis merito defumimus exemplum justitiæ ac vindictæ divinæ, ne & nos in eundem impingamus lapidem, & propter ambitionem, aut alias cupiditates ac illecebras humanas, Christum, & quæ nos comparavit bona, despectui habeamus, aut malitiose deferamus. Ita enim ipse: *Quid prodest homini, si totum mundum lucratus fuerit, animæ vero suæ patiatur iacturam?* (b) Certe si imperium totius universi tanquam res nullius momenti considerari meretur, respectu bonorum cœlestium, quæ fidelibus in vita futura prostant? absonum sane est, propter manipulum divitarum, propter umbram honoris, aut existimationis, aliquid agere, aut audere, quod iacturam beatitudinis ac hæreditatis æternæ inferre possit. Dolenda vero est animi humani communis imbecillitas, dum plerumque magis commovetur, & majori gaudio afficitur, cum forte optimam hæreditatem acquirat, aut dignitatis augmentum, quam cum de Christo, ac felicitate, quæ veros Christianos manet, sermonem habet Præco Divinus. Ordinarie enim quæ sub sensus cadunt bona, etiamsi tantum apparet talia sint, majorem in animum faciunt impressionem, quam quæ nuda mentis contemplatione comprehenduntur.

(g) Joh. V. 44.

(h) Matth. XVI. 26

henduntur. Verum quisquis unquam conscientiae
vulneratae martyrium perpeccus est, ita ut nullum amplius solatum in suis opibus, dignitate, aut denique amicis ac patronis invenire potuerit, is facile agnoscit, nihil dulcius esse, nihil praetiosius, praeter Christi meritariam satisfactionem, quae non solum omnia peccata delet, ut immunes reddamur a justa irati Numinis vindicta, sed etiam participes nos facit bonorum omnium, quae Deus sibi ac fidelibus reservavit, ut gaudii ac fiduciae pleni cum Apostolo exclamare possimus, si Deus pro nobis, quis contra nos? Habent enim revera fideles per Fidem prægustum aliquem vitæ æternæ, qui eos confirmat, ut nec fulmen Legis Mosaicæ, nec hominum odia, aut persecutions pertimescant. Nam quamvis miseras suas non possint non sentire, & interdum a summo Numine videantur penitus destituti, ac malorum arbitrio, ludibriis, & oppressioni expositi, non tamen desperant, probe gnari, sibi in cœlis adesse Benignissimum Parentem, ac Potentissimum Deum, qui hisce afflictionibus certos præscriperit limites, quos transire non possint turgescentes adversariorum fluctus. Agnoscent præterea lubentes, sibi suas adhærere imbecillitates, quas Natura corrupta, ac sibi relata, nunquam lubens corrigeret aggrediatur, sed potius foveat ac sustentet; quod contra iis infringendis unice conducant frequentes animi aut corporis afflictiones; adeoque has non eodem animo ac irregeniti respiciunt, nec morose ipsis se opponunt, sed in mediis miseriis pacifici ac læti, eas tanquam castigationes contemplantur, non in perniciem, sed suam salutem a Patre Cœlesti ordinatas. Habent præterea & istæ piorum tentationes suam adjunctam dulcedinem ac gratiam, dum in mediis plerumque periculis suo auxilio præito est Benignissimum Numen, & salutaria subministrat remedia

media, afflito animo eo magis accepta, quo magis videbantur remota, eoque gratiora, quoniam novum providentiae divinæ & paterni amoris præbent documentum. Non capit hanc, quæ ex perpeſſis miseriis conſequitur, dulcedinem, animus illecebris mundanis captus ac illaqueatus, & omnibus, quæ ad vitae commoditatem faciunt, bonis abunde provisus. Nam quemadmodum iſti, qui ex cupediarum multitudine, quam mensam quotidie onerant, debilitatum experiuntur ventriculum, inter delicatissima fercula vix inveniunt, quod nauseanti Stomacho offerant, sed hinc illinc delibando, proritare tamen deperditum appetitum co- nantur, quem abſtinentia & corporis exercitatione ac labore longe facilius excitare poſſent; ſic etiam ſecundis ſemper rebus utentes, nullam veram in iis dulcedinem inveniunt, ipſa fortunæ conſtantia quaſi exſatiati. Hinc etiam nonnunquam obſervamus, quando eiusmodi personæ, in lauta re familiari conſtitutæ, ſemel aliquem prægustum bonorum cœleſtium perceperē, quod poſtmodum suas divitias, dignitatem, ac ſplendorem, cum Apoſtolo Paulo, ſtercoris instar aëſtiment, nullum verum ſolatium, nullas delicias, niſi in Chriſti merito invenientes.

Cum ergo infallibilia Summum Numen nobis reliquerit documenta de Resurrecione Chriſti; Ex hac certitudine autem neceſſario ſequatur, Iuſtitiæ Divinæ plenarie fuifſe ſatisfactum, ita ut nemo, niſi qui ſponde ac malitioſe Salvatorem ejusque ſatisfactorium meritum deſpiciat, aut inſufficiens aëſtimet, modo id vera cordis fiducia apprehendat, ſibi que ad finem uſque perfeveranter applicet, de ſalute aëterna dubitare poſſit, noſtrum erit, Cives, grato animo hanc felicitatem agnoſcere, & DEum amare, quoniam nos prium, quoniam tam abundanter nos amavit (i) Dolemus ergo merito


(i) I. Joh. IV. 19,

merito, postquam aliquoties ad nos delatae sunt querela, quod non pauci Vestrum in Cœtibus Ecclesiasticis, imprimis in Aede Jacobæa, denuo instituant habere deambulationes, & sine ulla veneratione tecto capite incedere, imo illudere sexus sequioris personis non erubescant. Huic pravæ consuetudini ut obviam eamus, Officii nostri ratio postulat; & propterea jam ante biennium Statutum publice promulgatum est, sub comminatione *Relegationis* publicæ ad biennium, ut ab istis moribus, qui Christianos, & Studiosos humanitatis dedecent, abstineatis. *Ut ergo scandalum illud penitus tandem eradicetur, Senatus Academicus nupere decrevit, Suggestum illum in Aede Jacobæa, qui Altare respicit, in vestrum conducere usum; adeoque volumus, ac jubemus, ut in posterum nemo stationem sibi capiat, aut deambulationes instituat in Compitis Ecclesiæ, sed qnotquot Cœtum illum frequentare instituunt, vel in Suggestum Pomeranorum, vel in alterum, mox commemoratum, se conferant;*

Quisquis contra niti perseverabit, publice relegabitur ad biennium.

P. P. SUB SIGILLO ACADEMICO,
Die V. April. Anni MDCCXXXIII.

¶ (o) ¶



media, afflito animo eo magis accepta, quæ videbantur remota, eoque gratiora, quoniam providentia divinæ & paterni amoris præbementum. Non capit hanc, quæ ex perpeccis consequitur, dulcedinem, animus illecebris captus ac illaqueatus, & omnibus, quæ ad vitamoditatem faciunt, bonis abunde provisus. Nam admodum isti, qui ex cupediarum multitudinemensam quotidie onerant, debilitatum expientriculum, inter delicatissima fercula vix inquod nauseanti Stomacho offerant, sed hinc i libando, proritare tamen deperditum appetinantur, quem abstinentia & corporis exercitabore longe facilius excitare possent; sic etiatis semper rebus utentes, nullam veram in idinem inveniunt, ipsa fortunæ constantia quietati. Hinc etiam nonnunquam observamus, eiusmodi personæ, in lauta re familiari constitutmel aliquem prægustum bonorum cœlestium ure, quod postmodum suas divitias, dignitasplendorem, cum Apostolo Paulo, stercoris instrument, nullum verum solatium, nullas delicias Christi merito invenientes.

Cum ergo infallibilita⁹ Summum Numen nō querit documenta de Resurrectione Christi ; certitudine autem necessario sequatur, Iustitia plenarie fuisse satisfactum, ita ut nemo, nisi quæte ac malitiose Salvatorem ejusque satisfactoriū ritum despiciat, aut insufficiens æstimet , in vera cordis fiducia apprehendat, sibique ad fine perseveranter applicet, de salute æterna dubitanū nostrum erit, Cives, grato animo hanc felicitatem noscere, & Deum amare, quoniam nos primu^miam tam abundanter nos amavit (i) Dolem

O. I. Joh. IV. 19.



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0111